



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Aelii Lampridii Antoninvs Heliogabalvs. Ad Constantinvm Avgvstvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

ANTONINVS HELIO- GABALVS

A D C O N S T A N T I N V M
A V G V S T V M.



ITAM HELIOGABALI ANTONINI impurif-
simā, qui Varius etiā dictus est: nunq̄ in literas mi-
sistem, ne quis fuisse Romanorū principē sciret, nisi
ante Caligulas & Neronēs & Vitellios hoc idē ha-
buisset imperium: sed cum eadem terra & uenena fe-
rat & frumentum, atq; alia salutaria, eadem serpen-
tes & cicures, compēsationem sibi lector diligens fa-
ciet, cum legerit Augustum, Vespasianū, Traianū,
Hadrianum, Pium, Marcum. Contra hos prodigio-
sos Tyrannos simul intelliget Romanorū iudicia, quod illi & diu imperarunt,
& exitu naturali functi sunt: hi uero interfecti, tracti, Tyranni etiam appellati:
quorum nec nomina libet dicere. Igitur occiso Macrino, eiusq; filio Diadume-
no: qui pari potestate imperij Antonini etiam nomē acceperat, in Varium He-
liogabalum imperium collatum est, idcirco quod Bassiani filius diceretur. Fuit
autem Heliogabali uel Iouis, uel Solis sacerdos, atq; Antonini sibi nomē adsci-
uerat, uel in argumentum generis, uel quod id nomen usque adeo charum esse
cognouerat gētibus, ut etiā paricida Bassianus causa nominis amaretur. Et hic
quidē prius dictus est Varius, post Heliogabalus, sacerdotio dei Heliogabali,
cui templū Romæ in eo loco cōstituit, in quo prius ædes Horci fuit, quem è Sy-
ria secum adduxit. Postremo cum accepit imperiū, Antoninus appellatus est:
atq; ipse in Romano imperio altissimus Antoninorū fuit. Hic tantum Symia
miræ matri deditus fuit, ut sine illius uoluntate nihil in Rep. faceret, cum ipsa
meretricio more uiuens, in aula omnia turpia exerceret. Antonino autem Ca-
racallo stupro cognita, ita, ut hinc uel Varius & Heliogabalus uulgo conceptus
putaretur. Et aiunt quidam Varij etiam nomen idcirco eidem inditum à condi-
scipulis, quod uario semine, de meretrice utpote cōceptus, uideretur. Hic fertur
occiso Macrini factione patre, ut dicebatur, Antonino in templum dei Heliog-
gabali confugisse uelut in asylum, ne interficeretur à Macrino, qui saeuissime cū
filio luxurioso & crudeli exercuit imperiū. Sed de nomine hætenus, quāuis
sanctum illud Antoninorum nomē polluerit. Quod tu Constantine sacratissi-
me ita ueneraris, ut Marcum & Pium inter Constantinos Claudiosq; uelut ma-
iores tuos aureos formaueris, adoptans uirtutes ueterū tuis moribus congruen-
tes, & tibi

tes, & tibi amicas charasq; Sed ut ad Antoninū Variū reuertamur, Nactus imperium, Romam nuncios misit: excitatisq; omnibus ordinibus, omni etiam populo ad nomen Antoninum, quod non solum titulo, ut in Diadumeno fuerat, sed etiam in sanguine redditum uidebatur, cum se Antoninum Bassiani filium scripsisset, ingens eius desyderium factum est. Erat præterea etiam rumor, qui nobis post tyrannos solet damnari principibus, qui nisi ex summis uirtutibus non permanet, & quem multi mediocres principes amiserunt. Deniq; ubi in senatu lectæ sunt literæ Heliogabali, statim infausta in Antoninū, & dira in Macrinum, eiusq; filium dicta sunt, Appellatusq; Antoninus princeps, uolentibus cunctis, & studiose credentibus, ut sese habent uota hominum ad credulitatem festinantium, cum quod optant, uerum esse desyderant. Sed ubi primum ingressus est urbem, omisis his quæ in prouincia gerebantur, Heliogabalum in Palatino monte iuxta ædes imperatorias consecrauit, eiq; templum fecit, studens & matris typū, & Vestæ ignem, & Palladium, & Ancylia, & omnia Romanis ueneranda in illud transferre templum, & id agens ne quis Romæ deus nisi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea Iudæorum & Samaritanorum religiones, & CHRISTIANAM deuotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret. Deinde ubi primum diem senatus habuit, matrem suam in senatu rogari iussit. Quæ cum uenisset uocata ad consulum subsellia, scribendo affuit, id est, senatus consulti conficiendi testis, solusq; omnium imperatorum fuit, sub quo mulier quasi clarissima, loco uiri senatū ingressa est. Fecit & in colle Quirinali senatulū, id est, mulierum senatum, in quo ante fuerat conuentus matronalis, solennibus duntaxat diebus, & si nunquam aliqua matrona consularis, coniugij ornamentis esset donata, quod ueteres imperatores affinibus detulerunt: & his maxime quæ nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitatæ remanerent. Sed Symiamira facta sunt senatus cōsulta ridicula de legibus matronalibus, quæ quo uestitu incederent, quæ cui crederent, quæ ad cuius osculum uenirent, quæ pileto, quæ equo saginario, quæ Asino ueheretur, quæ carpento mulari, quæ boum, quæ sella ueheretur, quæ utrum pellicion offea, an eborata, an argentata, & quæ aurum, uel gemmas in calciamentis haberent. Ergo cum hybernasset Nicomediæ atq; omnia sordide ageret, ini returq; à uiris & subigeret, statim milites facti sui poenituit, quod in Macrinum conspirauerant, ut hunc principem facerent, Atq; in consobrinum eiusdem Heliogabali Alexandrum, quem Cæsarem senatus Macrino interempto, appellauerat, inclinare animos. Quis enim ferre posset principem per cuncta caua corporis libidinem recipientem, cum ne belluam quidem talem quisq; ferat? Romæ deniq; nihil egit aliud, nisi ut emissarios haberet, qui ei bene nascatos perquirerent, eosq; ad aulam perducerent, ut eorum cōditionibus frui posset. Agebat præterea domi fabulam Paridis ipse, Veneris personam subiens, ita, ut subito uestes ad pedes defluerent, nudusq; una manu ad māmam, altera pudendis adhibita ingenicularet, posterioribus eminentibus in subactorem reiectis & oppositis. Vultum præterea eodē quo Venus pingitur schemate figurabat,

A corpore

CHRISTIANA
deuotio.

corpore toto expolitus, eum fructum uitæ præcipuum existimans, si dignus atque aptus libidini plurimorum uideretur. Vendidit & honores & dignitates & potestates, tam per se, quæ per omnes seruos ac libidinum ministros. In senatum legit sine discrimine ætatis, census, generis, pecuniæ merito, militaribus etiam præposituris, tribunatibus, & legationibus & ducibus, uenditis etiam procurationibus, & Palatinis officijs. Aurigas Protogenem & Cordium, primo in certamine curuli socios, post in omni uita & actu participes habuit. Multos quorum corpora placuerant, de scæna & circo & harena in aulam traduxit. Herodem uero sic amauit, ut eidem inguina oscularetur, quod dictum etiam uerecundum est. Floralia sacra se asserens celebrare, in uirginem uestalem incestum admisit. Sacra P. R. sublati penetrantibus profanauit. Ignem perpetuum extinguere uoluit. Nec Romanas tantum extinguere uoluit religiones, sed per orbem terrarum unum studens, ut Heliogabalus deus unus ubique coleretur. & in penam Vestæ quod solæ uirgines, solique pontifices adeunt, irrupit pollutus ipse omni contagione morum, cum his qui se polluerant. Et penetrabile sacrum est auferre conatus, cumque feriã quasi uerã rapuisset, quæuis Virgo Maxima falsam monstrauerat, atque in ea nihil repperisset, applosam fregit, nec tamen quicquam religioni dempsit, quia plures similes factæ dicuntur esse, ne quis uerã unquam possit auferre. Hæc cum ita essent, signum tamen quod Palladium esse credebat, abstulit: & auro fictum, in sui dei templo locauit. Matris etiam deinde sacra accepit, & adeo debacchatus est, ut Typhum eriperet, & alia sacra, quæ penitus habentur condita. Iactauit autem caput inter præciosos phanaticos, & genitalia sibi deuinxit, & omnia fecit quæ Galli facere solent: ablatumque sanctum nomen, in penetrabile dei sui transtulit. Salambronem etiam omni planctu & iactatione Syriaci cultus exhibuit, omen sibi faciens imminentis exitij. Omnes sanè deos, sui dei ministros esse aiebat, cum alios eius cubicularios appellaret, alios seruos, alios diuersarum rerum ministros. Lapidem qui diui dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, asserere uoluit. Et Orestem quidem ferunt non unum simulacrum Dianæ, nec uno in loco posuisse, sed multa in multis. Postea quod se apud tria flumina circa Hebrum ex responso purificauit, etiam Orestem condidit ciuitatem, quam sæpe cruentari hominum sanguine necesse est. Et Orestem quidem urbem Hadrianus suo nomine uindicari iussit: eo tempore quo furore cœperat laborare, ex responso cum ei dictum esset, ut in furiosi alicuius domum, uel nomen irreperet, Nam ex eo emollitam insaniam ferunt, per quam multos senatores occidi iusserat, Quibus seruatis, Antoninus Pij nomen meruit, quod eos post ad senatum adduxit, quos omnes iussu principis interfectos credebant. Cædit & humanas hostias, lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam patrimis & matrimis, credo ut maior esset utriusque parenti dolor. Omne denique magorum genus aderat illi, operabaturque quotidie hortante illo & gratias dijs agente, quod amicos eorum inuenisset, cum inspiceret extra puerilia & excrutia hostias ad ritum gentilem suum. Cum collatum inisset in populum, non nummos uel argenteos, uel aureos, uel bellaria, uel minuta animalia, sed boues opimos, & camelos, & asinos, & ceruos populo diripiendos abiecit, imperatorum

Imo nullam
uerã fuisse
arbitror.

Collatus.

toriū id esse dictitans. Infectatus est famam Macrini crudeliter, sed multo magis Diadumeni quod Antoninus dictus est, Pseudoantoninū, & Pseudophilippum eum appellans, simul quod cum luxuriosissimus extitisset, uir fortissimus, optimus, grauissimus, seuerissimus diceretur. Coëgit deniq; scriptores nō nullos de nefanda, immo potius non ferenda eius dicta luxuria disputare, ut in uita eius. Lauacrum publicum in ædibus aulicis fecit, simul & palam populo exhibuit, ut ex eo conditiones bene nasatorum hominum colligerent. Idq; diligenter curatum est, ut ex tota penitus urbe, atq; ex nauticis monobolos quærent, sic eos appellabant, qui uiriliores uidebantur. Cum Marcomannis bellum inferre uellet, quos Antoninus pulcherrime profligauerat, dictū est quibusdā per Chaldæos, & Magos Antoninum Marcum id egisse, ut Marcomanni P. R. semper deuoti essent, atq; amici, idq; factis carminibus, & consecratione, cū quæreret quæ illa esset, uel ubi esset, suppressum est. Constabat enim illū ob hoc consecrationem quætere, ut eam dissiparet spe belli concitandi. Et idcirco maxime quod audierat responsum fuisse ab Antonino bellum Marcomanicum finendum. Cum hic Varius, & Heliothalus, & ludibrium publicum diceretur, nomen autem Antonini pollueret, in quod inuaserat. Prodebat autem per eos maxime, qui dolebant sibi homines ad exercendas libidines bene nasatos, & maioris peculij, opponi. Vnde etiam de nece eius cogitari cœpit. Et hæc quidem domi. Sed milites pestem illam uelari imperatoris nomine, pati nequiuerunt. Ac primum inter sese, deinde per coronas iecere sermones in Alexandrū omnes inclinantes, qui iam Cæsar erat à senatu dictus eo tempore, quo Macrinus huius Antonini. Nā Varia una his erat auia. Vnde Heliothalus Varius dicebatur. Zoticus sub eo tantum ualuit, ut ab omnibus officiorum principibus sic haberetur, quasi domini maritus esset. Erat præterea idem Zoticus qui hoc familiaritatis nomine abutens omnia Heliothalali dicta, & facta uenderet sumis, q̄ maxime diuitias enormes sperans cū alijs polliceret, omnes falleret. Enormis.

» Egre diensq; ab illo singulos audiret dicens, de te hoc locutus sum, de te hoc audiui, de te hoc futurū est, ut sunt homines huiusmodi, qui si admissi fuerint ad

» nimiam familiaritatem principum, famam non solum malorum, sed & bonorum principum uendunt. Et qui stultitia uel innocentia imperatorum, qui hoc non perspicunt, infamum rigeratione pascuntur. Nupsit, & coijt, ut & pronubē haberet, clamaretq; concide magis. Et eo quidem tempore quo Zoticus agrotabat quærebatur deinde à philosophis, & grauissimis uiris an & ipsi in adolescentia perpessi essent, quæ ipse pateretur, & quidem impudentissime, neq; enim unq; uerbis pepercit infamibus, cum & digitis impudicitiam ostentaret, nec ullus in conuētu & audiente populo esset pudor. Fecit libertos præsides, legatos, consules, duces, omnesq; dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum. Cum ad uindemias uocasset amicos nobiles, & ad corbes sedisset, grauissimū quēque percunctari cœpit, an promptus esset in uenerem, erubescensq; senibus, exclamabat: erubuit, salua res est, silentium ac ruborē pro consensu ducens. Addidit præterea ipse, quæ faceret sine ullius pudoris uelamēto. Posteaq; senes uidit

A 2 erubescere

erubescere ac tacere, uel quia aetas, uel quia dignitas talia refutabat, cōtulit se ad iuuenes, & ab his cepit omnia exquirere: à quibus cum audiret atati congrua gaudere cœpit, & dicere uere liberam uindemiam esse, quam sic celebrat. Ferunt multi ab ipso primum repertum, ut in uindemiarum festiuo multa in domos iocularia, & audientibus dominis diceretur, quæ ipse cōposuerat, & Græca maxime. Horum pleraq; Marius Maximus dicit in uita ipsius Heliogabali. Erant amici improbi, & senes quidā, & specie philosophi, qui caput reticulo componerent, qui improba quædam pati se dicerent, qui maritos se habere iactarent. Quos quidem finxisse dicunt, ut illi fierent uitiorum imitatione cariores. Ad præfecturam prætorij saltatorem, qui histrionicā Romæ fecerat, asciiuit. Præfectum uigilum Gordium aurigam fecit. præfectum annonæ Claudium censores. ad honores reliquos promouit. Commendatos sibi pudibulum enormitate membrorum ad uicesimum hæreditatum mulionem curare iussit. iussit & curforem. iussit & cocum, & claustraliū artificem. Cum ingressus est, uel castra, uel curiam, auiam suam Variam nomine, de qua superius dictum est, secū induxit, ut eius autoritate honestior fieret, quia per se non poterat: nec ante eū, quod iam diximus, senatum mulier ingressa est, ita ut ad scribendum rogaret, & sententiam diceret. In conuiujs exoletos maxime iuxta se ponebat, eorūq; attrectatione, & tactu præcipue gaudebat. Nec quisq; ei magis poculum cum bibisset, dabat. Inter hæc mala uitæ impudicissimæ Alexandrum, quem sibi adoptauerat, à se amoueri iussit, dicens se pœnitere adoptionis, mandauitq; ad senatum, ut Cæsaris ei nomen abrogaretur. Sed in senatu hoc prodito ingens silentium fuit. Siquidem erat optimus iuuenis Alexander, postea comprobatus genere imperij eius: cum ideo displiceret patri, quod impudicus non esset. Erat autem eidem consobrino, & ut quidam dicunt, à militibus etiam amabatur, & senatui acceptus erat, & equestri ordini. Nec defuit tamen furor usque ad exitum uoti pessimi. Nam ei percussores immisit. Et hoc quidem modo ipse secessit ad hortos spei ueteris quasi contra nouum iuuenem uota concipiens, relicta in palatio matre, & auia, & consobrino suo: iussitque ut trucidaretur iuuenis optimus & reip. necessarius. Misit & ad milites literas, quibus iussit, ut abrogaretur nomen Cæsaris Alexandro. Misit qui & in castris statuarū eius titulos luto tegeret, ut fieri solet de tyrannis. Misit & ad nutritores eius, quibus imperauit sub præmiorum spe, atq; honorum, ut eum occiderent, quo uellent modo uel in balneis, uel ueneno, uel ferro. Sed nihil agunt improbi contra innocētes. Nam nulla uis quis adduci potuit, ut tantum facinus impleret: cum in ipsum magis conuersa sint tela, quæ parabat alijs: ab hisq; sit interfectus, quibus alios appetebat. Sed ubi primum lutati sunt tituli statuarum, milites omnes exarserunt. Et pars in palatium, pars in hortos, in quibus erat Varius, ire tendunt, ut Alexandrum uindicarent, hominemq; impurum, eundemq; parricidalis animi tandem à rep. depellerent. Et cum in palatium uenissent, Alexandrum cū matre atq; auia custoditum diligentissime postea in castra duxerunt. Secuta autē erat illos Symiamira mater Heliogabali pedibus sollicita filio. Inde itum est in hortos, ubi

Nota tyrannorum.

tos, ubi Varius inuenitur certamen aurigandi parans: expectans tamē intentif
sime quando eidem nunciaretur consobrinnus occisus. Qui subito militum stre
pitu exterritus in angulum se condit: obiectuq; ueli cubicularis, quod in intro
itu erat cubiculi, se textit. Misit ex præfectis alios ad compescendos milites in ca
stra: alios uero ad eos placandos, qui iam in hortos uenissent. Antiochianus
igitur ex præfectis unus milites qui in hortos uenerant, & sacramenti admoni
tione exorauit, ne illum occiderent: quia nec multi uenerant, & pleriq; cum ue
xillo, quod Aristomachus tribunus retinuerat, remanserant. Hæc in hortis. In
castris uero milites precanti præfecto dixerunt se parafuros esse Heliogabalo, si
& impuros homines, & aurigas, & histriones à se dimoueret, atque ad bonam
frugem rediret. His maxime submotis, qui cum omnium dolore apud eum plu
rimum poterant, & qui omnia eius uendebant, uel ueritate, uel fumis. Remoti
sunt deniq; ab eo Herodes, Cordus, & Murissimus, & duo improbi familiares,
qui eum ex stulto stultiorem faciebant. Mandatum præterea à militibus præfe
ctis, ne paterentur illum ita diutius uiuere, & ut Alexander custodiretur, ne uel
illi aliqua uis afferretur, simul ne Cæsar quempiam amicum Augusti uideret,
ne ulla fieret imitatio turpitudinis. Sed Heliogabalus & ingenti prece Hero
dem reposcebat impudicissimum hominem, & insidias indies Cæsaris propa
gabatur. Deniq; Calendis Ianuarijs cum simul tum designati essent consules, no
luit cum consobrino procedere. Ad extremum cum ei auia & mater dicerent
imminere milites ad eius exitium, nisi concordiam uiderent inter se consobrino
rū: sumpta prætexta hora diei sexta, pcessit ad senatū auia sua ad senatū uoca
ta, & ad sellam producta. Deinde in Capitolium ad uota concipienda, & per
ficienda solennia ire noluit. omnia per Pr. urbanū facta sunt, quasi consules illic
non essent. Nec distulit eadem consobrini: sed timens ne senatus ad aliquē se in
clinaret, si ille consobrinnū occidisset, iussit subito senatum urbe decedere. Omnes
q; etiā quibus aut uehicula, aut serui deerāt, subito proficisci iussi sunt: cum aliq;
per baiulos, aliq; per fortuita animalia, & mercede conducta ueherentur. Sabi
nū consularē uirū, ad quē libros Vlpianus scripsit, quod in urbe remāssisset, uo
cato Centurione mollioribus uerbis iussit occidi. Sed Ceturio aure surdior im
perari sibi credidit, ut urbe pelleretur. Itaq; fecit, sic uitium Centurionis Sabino
saluti fuit. Remouit & Vlpianum iuriconsultū, ut bonū uirū: & Siluinum rhe
torē, quē magistrū Cæsar fecerat. Et Siluinus quidē occisus est: Vlpianus ue
ro reseruatus. Sed milites & maxime prætoriani, uel sciētes quæ mala in Helio
gabalum pararent, uel quod sibi uiderent inuidiam: facta conspiratione ad li
berandā remp. primū cōscios genere mortis cū alios uitalibus exemptis nece
rent, alios ab ima parte perfoderēt, ut mors esset uitæ consentiens. Post hoc in
eū impetus factus est, atq; in latrina ad quā cōfugerat, occisus. Tractus deinde
per publicū addita iniuria cadaueri est, ut id in cloaculam milites mitterēt. Sed
quū nō coepisset cloacula fortuita per pontē Aemyliū annexo pondere ne flui
taret, in Tyberim abiectū est, ne unq; sepeliri posset. Tractū est cadauer eius
etiā per circi spacia, priusq; in Tyberim præcipitaretur. Nomen eius, id est, An

A 3 tonini

ronini,erasum est sanatu iubete, remasitq; Varij Heliogabali, siquidē illud affectatio retinuerat, cū uult uideri filius Antonini, appellatus est post mortē Tiberinus, & tractatitius, & impurus. Et multa siq̄ ea erāt designāda, quæ sub eo facta uidebant. Solusq; omniū principū & tractus est, & in cloacam missus, & in Tyberim præcipitatus. Quod odio cōmuni omniū contigit, à quo speciatim capere debent imperatores: siquidē nec sepulchra mereantur, qui amorē senatus populi ac militū nō merent. Opera publica ipsius præter eadē Heliogabali dei, quæ Solē aliq; aliq; Iouē dicūt: & amphitheatri instauratio post exustionē, & lauacrū in uico Sulpitio, quod Antoninus Seueri filius cœperat, nulla extāt. Et lauacrū quod Antoninus Caracallus dedicauerat, & lauādo, & populū admittēdo, Sed portic⁹ defuerāt, quæ postea ob hoc sub Decio Antonino extractæ sūt, & ab Alexādro pfectæ. Hic ultim⁹ Antoninorū fuit, q̄uis cognomiē postea Gordianos multi Antoninos putēt, qui Antonij dicti sūt, nō Antonini. Vita, moribus, improbitate ita odibilis, ut eius nomē senatus eraserit: quē nec ego Antoninū uocassem, nisi causa cognitiōis, quæ cogit plerūq; dici ea etiā nomia, quæ sūt abolita. Occisa est cū eo & mater Symiamira, pbrofissima mulier, & digna filio. Cautūq; ante omnia post Antoninū Heliogabalū, ne unq; mulier senatū ingrederet: utq; inferis eius caput dicaret, deuouereturq; per quē id esset factū. De huius uita multa in literas missa sūt obscena, quæ digna memoratu nō sunt, ea solū prodēda cēsui, quæ ad luxuriā pertinebāt, quorū aliqua priuatus, aliqua iā imperator fecisse perhibet: Cū ipse priuatus diceret se Apiciū: imperator uero Neronē, Othonē, & Vitelliū imitari. Nā primus omniū priuatorū toros aureis toralib⁹ texit, quia tūc ex Antonini Marci autoritate id fieri licebat, q̄ omnē apparatus imperatoriū publice uēdiderat. Deinde æstiuā cōuiuia colorib⁹ exhibuit, ut hodie prasinū uitreū, alia die Venetū deinceps exhiberet: semp̄ uarie p̄ dies oēs æstiuos. Primus deinde mēsas, & capsas argenteas habuit. Primus etiā cacabos. Vasa deinde cētenaria argētea sculpta, & nonnulla schematibus libidinosissimis inquinata. Et masticatū, & pulentatū, & omnia hæc quæ nūc luxuria retinet, primus inuenit. Nā rosatū ab alijs acceptū, pinearū etiā atritiōē moderat⁹ reddidit. Deniq; hæc genera poculorū ante Heliogabalū nō legunt. Nec erat ei ulla uita, nisi exquirere nouas uoluptates. Primus fecit de piscibus isitiā, primus de ostreis, & lithostreis, & alijs huiusmodi marinis cōchis, & locustis, & cāmariis, & scyllis. Strauit & tridinā de rosa, & lectos & portic⁹, ac sic p̄ ea deābulauit, idēq; omni florū genere, lilijs, uiolis, hyacinthis, & narcissis. Hic nō nisi unguēto nobili, aut croco piscinis infectis natauit. Nec cubuit in accubitis facile, nisi his quæ pilū leporinū haberēt, aut plumas perdicū, subalares sæpe culcitra mutās. Senatū nō unq; p̄ta contēpsit, ut mācipia togata appellaret. P. uero R. unius fūdi cultorē, equestre ordinē in nullo loco habēs. Præfectū urbicū sæpe post cenā ad potandum uocabat, adhibitis & præfectis prætorio: ita ut si recusarēt, magistrī eorū eos cogerēt. Voluit & per singulas urbes lenones præfectos urbi facere. Et ut esset in urbe XIII. & fecisset, si uiuisset p̄moturus oēs turpissimos, & ultimæ professionis hoies. Hic solido argēto habuit lectos, & tridinales, & cubiculares.

Ars. f. odora
tius.

Subalares
culcitra.

Lecti dupli
ces.

Come

Comedit sapi⁹ ad imitationē Apicij calcanea camelorū, & cristas uinis gallinaceis dēptas, linguas pauonū, & lusciniarū: quod qui ederet, epilepsia tutus diceret. Exhibuit & palatinis ingētes dapes extis mullorū refertas, & cerebellis phenicopterū, & perdicū ouis, & cerebellis turdorū, & capitib⁹ psittacorū, & fasianorū, & pauonū. Barbas sanē mullorū tātas iubebat exhiberi, ut pronascētis apiasteris, & facelariibus, & sceno Græco exhiberet plenis fabatarijs & discis, quod præcipue stupendū est. Canes iocinerib⁹ anserū pauit. Habuit leones, & leopardos exarmatos in delitijs: quos edoctos per mansuetarios subito ad secundā, & tertiam mēsam iubebat accūbere: ignorantibus cunctis quod exarmati essent ad pauorē, & ridiculū excitandū. Misit & uuasapamenas in præsepia equis suis: & psittacis, atq; fasianis leones pauit: & alia animalia exhibuit, & lumina aprina per dies decē tricena quotidie cū suis bulbis: pisum cū aureis, lentē cum ceraunijs, fabā cū electris, & orizam cū albis exhibens uasis. Albas præterea in uicē pipetis piscibus, & tuberibus consperxit. Oppressit in triclinijs uersatilibus parasitos suos uiolis & floribus sic, ut animā aliqui efflauerint: cū eripi ad summū nō possent, cōdito piscinas, & solia tēperauit: & rosato, atq; absynthio uulgus ad bibēdū inuitauit: & ipse cū populo tantū bibit, ut in piscina eū bibisse intelligeretur: uiso qd' unus bibisset, eunuchos pro aphroditis dedit. Dedit quadrigas, equos stratos, mulos, basternas, & rhedas. Dedit & aureos millenos, & cētena pondo argēti. Sortes sanē cōiuales scriptas in codearibus habuit tales, ut alius exhiberet decē camelos, ali⁹ decē muscas, alius decē libras auri, alius decē plūbi, alius decē struthiōes, alius decē oua pullina, ut ueræ sortes essēt, & fata tentarent: quod quidem & ludis suis exhibuit, cū & ursos decē, & decē griles, & decem lactucas, & decē auri libras in forte habuit. Primusq; hunc morē fortis instituit, quē nūc uidemus. Sed uere ad sortē scenicos uocauit, cū & canes mortuos, & librā bubalæ carnis haberet in forte. Et item centū aureos, & mille argēteos, & centum folles æris, & alia talia, quæ populus tam libenter accepit, ut eum postea imperare gratularetur. Fertur in Euripis uino plenis nauales circenses exhibuisse. Pallia deo Enanthio fudisse, & elephantorū quatuor quadrigas in Vaticano agitate dirutis sepulchris, quæ obsistebant. Iunxisse etiam camelos quaternos ad currus in circo priuato spectaculo. Serpentes per Marficæ gētis sacerdotes collegisse fertur: eosq; subito ante lucem, ut solet populus ad ludos celebres conuenire, effudisse, multosque afflictos morfu & fuga. Usus est aurea omni tunica, usus & purpurea, usus & de gemmis Persica, cum grauari se diceret onere uoluptatis. Habuit & in calciamentis gēmas, & quidē sculptas: quod risum omnibus mouit, quasi possent sculpturæ nobiliū artificū uideri in gēmis, quæ pedib⁹ adhererēt. Voluit uti & diademate gēmato, q pulchrior fieret, & magis ad sceminarū uultū aptus, quo & usus est domi. Fert & pmisisse phœnicē cōiuijs, uel pro ea libras auri mille, ut in prætorio eas dimitteret. Marina aqua colūbos exhibuit, in mediterraneis locis maxime, eosdē & singulis amicis natātibus dimisit, & iterū cum piscibus impleuit. Montem niuiū in uiridario domus æstate fecit aduectis niuib⁹, ad mare piscem nuncq; comedit: in longissimis à mari lo-

Pulpis, forte legendum.

cis omnia marina semper exhibuit: murenarū lactibus, & luporū in locis mediterraneis rusticos pauit. Pisces semper quasi in marina aqua cū colore suo coctos conditura ueneta comedit: momētarias de rosato, & rosas piscinas exhibuit, & bibit cum omnibus suis caldaria de nardo exhibens. Idem in lucernis balsamū exhibuit. Idē mulieres nunq̄ iterauit, præter uxore. Lupanaria domi amicis, clientibus, & seruis exhibuit. Idem nunquā minus centum H-S cenauit, hoc est, argenti libris triginta. Aliquando autem tribus milibus H-S cenauit, hoc est, argenti libris triginta. Aliquando autem tribus milibus H-S cenauit omnibus supputatis, quæ impendit. Cenas uero, & Vitellij, & Apicij uicit. Pisces ex uiuarijs suis bubus traxit, per macellum transiens mēditatem publicam fleuit, Parasitos ad rotam aquariam ligabat, & cum uertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum reuoluebat. Eosque Ixionios amicos amicos uocauit. Strauit & saxa Lacedæmonijs, ac Porphyreticis plateas in palatio, quas Antoninianas uocauit: quæ saxa usque ad nostram memoriā manserunt, sed nuper eruta, & execta sunt. Constituerat & columnā unā dare ingentem, ad quem ascenderetur intrinsecus, ita ut in summo Heliogabalum deum collocaret: sed tantum saxum non inuenit, cum id de Thebaide afferre cogitaret. Ebrios amicos plerumque claudebat: & subito nocte leones, & leopardos, & urfos exarmatos immittebat, ita ut expergefacti in cubiculo eodem leones, urfos, pardos, cum luce, uel quod est grauius, nocte inuenirent: ex quo plerique exanimati sunt. Multis uilioribus amicis folles pro accubitis sternerat, eosque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque subito sub mensis inuenirent prædentes. Primus denique inuenit symma in terra sternere, nō in lectulis, ut à pedibus utres per pueros ad reflandū spiritū soluerentur. Inimicis adulteris, ea quæ solent simulato fieri, effici ad uerū iussit. Meretrices à lenonibus cunctis redemit sæpe, & manumisit. Cū inter fabulas priuatas sermo esset ortus quanti herniosi esse possent in urbe Roma, iussit omnes notari, eosque ad balneas suas exhibere, & cū ipsē lauit nonnullis etiā honestis. Gladiatores ante conuiuū purgnantes sibi frequenter exhibuit. Strauit sibi tridiniū in summo lusorio. Et dū pranderet, noxios, & uenationes sibi exhibuit. Parasitis in secunda mensa sæpe cereā cenā, sæpe lignēā, sæpe eburnēā, aliquando fictilē, nōnunq̄ etiā uel marmoreā, uel lapideā exhibuit: ita ut omnia illis exhiberent uideda de diuersa materia, quæ ipse cenabat: cū tantū biberet per singula fercula, & manus quasi comedisset, lauarent. Primus Romanorum holoserica ueste usus fertur, cum iam subserica in usu essent. linteamen lotum nunq̄ attingit, mendicos dicens, qui linteis lotis uterentur. Dalmaticatus in publico post cenam sæpe uisus est. Gurgitem Fabium & Scipionem se appellans, quod cum ea ueste esset, cum qua Fabius, & Cornelius à parentibus ad corrigendos mores adolescentes in publicū esset producti. Omnes de circo, de theatro, de stadio, & omnibus locis, & balneis meretrices collegit in aedes publicas, & apud eas concionē habuit quasi militare dicens eas comilitones. Disputauitque de generibus schematū & uoluptatū. Adhibuit in tali concione postea lenones exoletos undique collectos, & luxuriosissimos pueros & iuuenes. Et cū ad meretrices muliebri ornatu processisset, papilla eiecta exoletos

exoletos habitu puerorum, qui prostituuntur, post concionē pronunciauit his quasi militibus ternos aureos donatiuum. Petijtēq; ab his, ut à dijs peterent, ut alios haberet ipsis commendandos. Iocabatur sanè ita cum seruis, ut eos iuberet millena pondo sibi aranearū deferre proposito prēmio, collegisseq; dicitur decem milia pondo aranearum, dicens ex hic intelligendū, q̄ magna esset Roma. Mittebat parasitis porcellarios salaria annua uasa cum ranis, & scorpijs, & cum serpentibus, & huiusmodi monstris. claudebat in eiuscemodi uasis infinitum muscarum, apes mansuetas eas appellans. Quadrigas Circensium in triclinijs, & in porticibus sibi semper exhibuit. Pransitans & cœnitans conuiuas senes agitare cogens nonnullos honoratos iam imperatori, iubebat sibi & decem milia murium exhiberi, mille mustellas, mille sorices. Dulciarios, & lactarios tales habuit, ut quæcunq; coqui de diuersis edulibus exhibuissent, uel structores, uel pomarij, illi modo de dulcijs, modo de lactarijs exhiberent. exhibuit parasitis cœnas & de uitreis, & nonnunq; tot picta mantilia in mensam mittebat his edulibus picta quæ apponerent, quot missus esset habiturus, ita ut de acu, aut de textili pictura exhiberentur. nonnunquam tamen & tabulæ illis pictæ exhibebantur: ita, ut quasi omnia illis exhiberentur, & tamen fame macerarentur. Miscuit gemmas pomis, ac floribus, iecit & per fenestram cibos totidem quot exhibuit amicis. Iusserat & canonem P. R. unius anni meretricibus, lenonibus exoletis intramuranis dari, extramuranis alio promisso, cū eo tempore iuxta prouisionem Seueri, & Traiani septē añorum canon fructuarius Romæ esset. Canes quaternos ingentes iunxit ad currū, & sic est uectatus intra domū regiam. Idēq; priuatus in agris suis fecit. processit in publicū, & quatuor ceruis iunctis ingentibus. Iunxit sibi & leones, matrem magnam se appellans. Iunxit & tigres, Liberum sese uocans. Eodemq; habitu agens, quo dij pinguntur, quos imitabatur. Aegyptios dracunculos Romæ habuit, & hippopotamos & crocodilum, & rhinocerotem, & omnia Aegyptia, quæ per naturā sui exhiberi poterāt. Struthiões, & camelos exhibuit in cœnis aliquoties dicens præceptū Iudæis, ut ederent. Illud sanè mirum uidetur quod dicitur ab eo factum, ut de croco sigma strauerit, cum summos uiros rogasset ad prandium, pro eorum dignitate se dicens fœnum exhibere. Traiecit & dierum actus noctibus, & nocturnos diebus, æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ ita, ut sero de somno surgeret, & salutari inciperet: mane autem dormire inceptaret. Amicis quotidie nec quenq; facile indonatum relinquebat, nisi quem frugi quasi perditū reperisset. Habuit gemmata uehicula, & aurata contemptis argentatis, & eboratis, & aratis. Iunxit & quaternas mulieres pulcherrimas, & binas ad papillum, uel ternas & amplius, & sic uectatus est. Sed plerūque nudus cum illum nudæ traherent. Habuit & hanc consuetudinem, ut octo caluos rogaret ad cœnam, item octo luscos, & item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues, cum capi nō possent uno sigmate, ut de his omnibus risus citaret. Donauit & argentū omne cōiuuis, quod habuit inconuiuio, & omnē apparatū poculorū: idēq; sapius Hydrogarū Romanorū ducū primus publice exhibuit

Abt † per cel
larios.

Intramura
ni.

Actus pro
acta.

exhibuit cum antea militaris mensa esset, quam postea statim Alexander reddidit. Proponebat præterea his quasi themata, ut iura noua dapibus condendis inuenirent, & cuius placuisset commentum, ei dabat maximum præmium, ita ut sericâ uestem donaret, quæ tunc & in raritate uidebatur, & in honore. Si aliquis autem displicuisset, iubebat, ut semper id comedisset, quamdiu tamen melius inuenisset. Semp sanè aut inter flores sedit, aut inter odores præciosos. Amabat sibi præcia rerum maiora dici earum rerum, quæ mensæ parabantur, orexim conuiuio hanc esse asserens. Pinxit se, ut cuppedinarium, ut plasiariû, ut propinariû, ut tabernariû, ut lenonem, idq; totû domi semper exercuit. Sexcentorû struthionû capita, una cœna multis exhibuit ad edêda cerebella. Exhibuit aliquando & tale conuiuû, ut haberet uiginti & duo fercula ingentiû epularum, sed per singula lauarent, & mulieribus uterentur, & ipse & amici cum iureiurando, quod efficerent uoluptatem. Celebrauit item tale conuiuium, ut apud amicos singulos, singuli missus apparerentur, & cum alter maneret in capitolio, alter in palatio, alter super aggerè, alter in Celio, alter trans Tyberim, & ut quisque mansisset, tamen per ordinem in eorum domibus singula fercula ederentur, ireturq; ad omnium domos, sic unum conuiuium uix toto die finitum est. Cum & lauarent per singula fercula, & mulieribus uterentur. Sybariticum missum semper habuit ex oleo, & garo, quem quo anno Sybarita repererunt, perierunt. Dicitur & balneas fecisse multis locis, ac semel lauuisse, atque statim destruxisse, ne ex usu balneas haberet. Hoc idè de domib⁹, de prætorijs, de zetis fecisse dicitur. Sed & hæc nonnulla fidem transeuntia, credo esse ficta ab his, qui in gratiam Alexandri Helioabalum, deformare uoluerunt. Fertur & meretricem notissimam, & pulcherrimam redemisse C H S, eamque intactam, uelut uirginem coluisse. Huic eidem priuato cum quidam diceret, non times pauper fieri? dixisse dicitur. Quid melius, quàm ut ipse mihi hæres sim, & uxori meæ? Habuerat præterea facultates, à multis dimissas gratia patris. Idè filios se nolle dicebat, ne quis ei frugi contingeret. Odores Indicos sine carbonibus ad uaporandas zetas iubebat incendi. Iter priuatus nunquam minus sexaginta uehiculis fecit, auia sua Varia reclamante, quod omnia perditurus esset. Imperator uero etiã sexcenta uehicularum dicitur duxisse, asserens decem milibus camelorû Perfarum regem iter facere, & Neronè quingentis carrucis iter iniisse. Causa uehiculorû erat lenonum, lenarum, meretricû, exoletorû subactorû etiã bene nasatorû multitudo. In balneis semper cû mulierib⁹ fuit ita, ut eas ipse psilotro curaret. Ipse quoq; barbâ psilotro accuras, quodq; pudèdum dictu est, eo die quo mulieres accurabant, & eadè hora rasit uirilia subactorib⁹ suis, nouacula manu sua, qua postea barbâ fecit. Scobe auri porticû strauit, & argenti, dolè quod nò posset & electri. Idq; frequèter quacûq; fecit iter pedib⁹ usq; ad equû, uel carpentû, ut fit hodie, de aurosa harena. Calciamentû nunq; iterauit, anulos etiã negat iterasse. Præciosas uestes saepe cõcidit, uellanâ cepit, & appedit, atq; ad eius estimationè ponderis, pisces amicis exhibuit. Naues onustas misit in portu, magnanimitatis hoc esse dicens. Onus uentris auro excepit, in myrrinis, & onychi-

& onychinis minxit. Ideo dixisse fertur, Si habuero hæredē, dabo illi tutorem, qui illum hæc facere cogat quæ ipse feci, facturuscq; sum. Habuit etiam istam cōsuetudinem, ut cœnas sibi exhiberet tales. Vna die non nisi fasianis totum ederet: omnesque missus sola fasianorum carne strueret. Item alia die de pullis, alia de pisce illo, & item illo: alia de porcis, alia de struthionibus, alia de holeribus, alia de pomis, alia de dulcijs, alia de opere lactario. Sæpe amicos suos cum Aethiopibus anniculis indusit nocturnis mansionibus, & usq; ad lucē detinuit, cum pulcherrimas his diceret apparatus. Fecit hoc idem etiam de pueris: & tunc ante Philippum utpote licebat. Ridebat autē sic nonnunq̄, ut publice in theatro solus audiretur, ipse cantauit, saltauit, ad tibias dixit, tuba cecinit, pandurizauit, organo modulatus est. Fertur & una die ad omēs Circi & theatri & Amphitheatri, & omnium urbis locorum meretrices, tectus cucullione mulionico, ne agnosceretur ingressus: cum tamen omnibus meretricibus sine effectu libidinis aureos donaret: addens, Nemo sciat, Antoninus hæc donat. Libidinū genera quædam inuenit, ut spinthrias ueterum malorū uinceret: & omnis apparatus Tiberij & Caligulæ & Neronis norat. Et prædictū eidem erat à sacerdotibus Syrijs Biothanatū se futurū. Parauerat igitur funes, Blatta & serico & Cocco intortos, quibus si necesse esset, laqueo uitā finiret. Parauerat & gladios aureos, quibus se occideret si aliqua uis urgeret. Parauerat & in Cerauneis & Hyacinthis, & in Smaragdis uenena, quibus se interimeret, si quid grauius immineret. Fecerat & altissimā turrim, substratis aureis, gemmatisq; ante se tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens etiam mortē suam preciosam esse debere & ad speciē luxuriæ, ut diceretur nemo sic perisse. Sed nihil ista ualuerūt. Nā ut diximus, & occisus est per scurras, & per plateas tractus est sordidissime, per cloacas ductus, & in Tyberim submissus est. Hic finis Antoninorū nomini in rep. fuit, scientibus cunctis istum Antoninū tam uita falsum fuisse, q̄ nomine. Mirū fortasse cuipiā uideatur Cōstantine uenerabilis, quod hæc clades quā retuli, loco principū fuerit, & quidē propè triennio, ita, ut nemo inuentus fuerit, qui istū à gubernaculis Romanæ maiestatis abduceret, cū Neroni, Vitellio, Caligulæ, ceterisq; huiusmodi nunq̄ tyrannicida defuerit. Sed primū omnium ipse ueniam peto quod hæc quæ apud diuersos repperi, literis tradidi, cū multa improba reticuerim, & quæ ne dici quidē sine maximo pudore possunt. Ea uero quæ dixi, prætextu uerborum adhibito, quātum potui, texi. Deinde illud quod clementia tua solet dicere, credidisse reficiendum imperatorem esse, fortunæ est. Nā & minus boni, reges fuerūt & pessimi. Agēdum uero quod pietas tua solet dicere, ut sint imperio digni, quos ad regendi necessitatem uis fatalis adduxerit. Et quoniam hic ultimus Antoninorum fuit, neque postea hoc nomen in repub. loco principum frequentatum est, etiam illud addendum est ne quis error oriatur, cum duos Gordianos narrare cœpero, patrē & filium qui se de Antoninorum genere dici uolebant, non nomen in illis primum fuit, sed prænomen. Deinde ut plerisq; libris inuenio, Antonij dicti sunt, nō Antonini. Hæc sunt de Heliogabalo, cuius uitā, me inuitū & retractantem, ex Græcis, latinisq; collectam scribere, ac tibi

actibi afferre uoluisti, cum iam aliorum ante tulerimus. Scribere autem ordiar, qui post sequentur, quorum Alexander optimus & cum uera dicendus assertio-
 ne, & annorum tredecim princeps, semestres alij & uix annui & bimi, Aurelia-
 nus præcipuus. & horum omnium decus, autor tui generis Claudius. De quo
 uereor ad clementiam tuam scribens uera dicere, ne male uolis adulatus uidear
 esse. Sed absoluar contra liuorem improborum, cum & apud alios clarum esse
 perspexerim. His iungendi sunt Diocletianus, aurei parens sæculi, & Maximia-
 nus, ut uulgo dicitur, cæteriq; ferrei ad pietatem tuam. Te uero Auguste uene-
 rabilis, multis paginis, iisdemq; disertioribus illi prosequuntur, quibus id felici-
 or natura detulerit. His addēdi sunt Licinius Seuerus, Alexander atq; Maxen-
 tius. Quorum omnium ius in ditionem tuam deuenit: sed ita ut nihil eorū uir-
 tuti derogetur. Non enim ego id faciam, quod pleriq; scriptores solēt, ut de his
 detrahā qui uicti sunt, cum intelligam gloriæ tuæ accedere, si omnia de illis
 quæ bona in se habuerunt, uera prædixero.

AELII LAMPRIIDI

ANTONINVS DIA- DVMENVS. ♀



ANTONINI Diadumeni pueri, quem cum patre Opi-
 lio Macrino imperatorem dixit exercitus, occiso Bas-
 siano, factione Macriniana, nihil habet uitæ memo-
 rabile, nisi quod Antoninus est dictus, & quod ei stu-
 penda omnia sunt facta imperij non diuturni, ut eue-
 nit. Nam cum primū innotuit per legiones occisum
 esse Bassianum, ingens mæror obsedit omnium per-
 ctora, quod Antoninum in rep. non haberent, existi-
 mantium quod cum eo Romanum esset imperium
 perituum. Id ubi Macrino iam imperatori nunciatum est, ueritus ne in aliquē
 Antoninorum, qui multi ex affinibus Antonini Pij erant, inter duces exercitus
 inclinaret, statim concionem parari iussit, filiumq; suum hunc puerum Antoni-
 num appellauit. Concionis uerba eiusdem. Videtis commilitones, & me ætatis
 prouectæ, & Diadumenum puerum, quem diu principem, si dij faucant, habe-
 bitis. Intelligo præterea desiderium ingens Antoniani nominis apud uos ma-
 nere, quare quoniam mihi per conditionem fragilitatis humanæ non multum
 superesse uidetur ad uitam, hunc puerum Antoninum uobis autoribus nuncu-
 po, diu uobis Antoninum representaturum. Acclamatum, Macrine imperator
 dij te seruent. Antonine Diadumene dij te seruent. Antoninum diuum omnes
 rogamus, Iuppiter optime maxime Macrino & Antonino uitā. Tu scis Iuppiter
 Macrinus